



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De paupertatis excellentia & eius amore, à Thoma nostro ex parentibus
imbibito. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

VITA THOMAE A KEMPIS.

iustitiæ lumen non illuxit, & Sol intelligentiæ non est ortus. Scriptum enim est: Nisi credideritis, non intelligetis. Felix contra Thomas noster, qui ab initio vitæ Christi sacris est illustratus, & præcipuis virtutibus ornatus, & qui ab adolescentia sua portavit iugum Domini.

3. At nunc, si ad mores seculi nostri respicere vacet, videamus plerique omnes solo nomine Christiani: quin etiam in id peccare, quod sanctissimum Christi nomen sic assumimus in vanum. Vbi enim est nunc veritas, Christiano digna? Vbi fides? Vbi iustitia? Vbi charitas illa maiorum nostrorum gemina? Vbi sanctæ vitæ splendor? Vbi vestium simplicitas? Vbi vigiliæ? Vbi ieiunia? Perierunt hæc, (nisi in religiosis domibus) omnia. Et in eorum locum, successerunt teterrima vitiorum monstra, præsertim hæc tempestate, suborta hæresi etiam in Sacramenta Christi blasphemata, vsque adeo, vt quod Christus Iudæis interminabatur, iam ingruentibus Turcis verendum sit nobis, vt malos malè perdat, & vineam suam locet aliis agricolis, (Christianis tamen, sed melioribus) qui reddant ei fructum temporibus suis. Verum quia optimi viri sanctissimam vitam, non satyram scribendam receperunt, non addam verbum amplius.

Exodi 20.

Matt. 21.

CAPVT V.

De paupertatis excellentia & eius amore, à Thoma nostro à parentibus imbibito.

1. Secundò, ingentis beneficii duxit loco, quòd parentibus piis & iis modicis natus esset. Sicut enim, auctore Augustino, Ecclesia Stephani protomartyris precibus conuersionem debet Pauli: & auctore Ambrosio, D. Monica piensissima matris lachrymis, Augustini: Non enim fieri (inquit) potuit, vt tantarum lachrymarum filius periret. Ita Thomas debet parentibus, & nos Thomæ, tot paupertatis, modestiæ, seu humiliationis, & patientiæ præconia: quæ cum sæpe alibi, tum in opere de tribus tabernaculis habentur maxima.

S Aug. ser. de S. Stephan.

Georg. Pirc Karmæ.

2. Natus enim est patre opifice, quotidiano labore victum ægrè queritante Campis, vrbe insigni in Traiectensi diocesi, siue, quod alij sentiunt, in agro Campano: matre autem, (vt Carthusianus pater scriptum reliquit) humili genere, quod ego interpretor, fortuna tenui. Nam vt ipse in vita Florentij de se attestatur, receptus est patrociniò Florentij in domum matronæ sanctæ, deinde in domum pauperum clericorum: & utrobique elemosynis educatus. Pientissimæ autem matris, exhortationibus, sanctioris doctrinæ, & per eam religionis imbibit amorem. Paterna autem vita, ad omnem laborem indurata, omni paupertate,

VITA THOMAE A KEMPIS,

te, modestia, & tolerantia decorata, has tres præcipuè induit virtutes: ferè enim sit, ut filij parentum insequantur mores,

3. Quocirca eas in tribus collocavit tabernaculis: Et in primo quidem paupertatem non abs re, quoniam Dominus ipse nos- ter, omnium rerum cognitor perspicacissimus & censor æquif- sumus, primos beatitudinis assequutores definivit, qui pauperes essent spiritu. Et in omnibus paradoxis & consilijs suis nihil tan- toperè commendavit, quanto paupertatem & rerum omnium abdicacionem: præuidens nimirum, per opum incrementa, & paupertatis contemptum, veram religionem & omnis honestatis amorem labefactatum iri. Quam rem ne dæmones quidem tacue- runt, vaticinantes & Lacædemonica & Romane gentis imperia per diuitiarum luxum ad interitum ventura.

4. Verum, ut non omnium erat olim adire Coriothum, ita nec omnium est agnoscere paupertatis donum. Quippe, ut Lucanus cecinit:

*Nondum intellecta deorum
Munera.*

Omnès enim, ut Comicus ait, ad rem sumus audiores. Ideoque, ut ad prouinciam petitis, terribilem, & factu difficillimam, sed planè diuinam Maronianus Euander hospitem suum Eneam hisce inuitat verbis:

*Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.*

Quæ verba acerrimo vir iudicio, quamplurimi æstimat Seneca, non minoris à quouis Christiano estimanda. Sunt enim parado- xo illi dominico consona: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia que habes, & da pauperibus.* Perfectam enim sic esse, est se fingere & efformare, ut sit dignus Deo. Alioqui dicat Dominus: Qui non reliquerit omnia propter me, non est me dignus. Vnde & Angeli ad pastores: *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolu- tum, & positum in præsepio.* Quod signum? Nisi diuinitatis, sub pan- niculis latentis. Nam & viuens & moriens non habuit, quo caput incliparet.

Horatius l.
1. epist ad
Scauum,
quæ proxi-
ma est an-
tepenulti-
mæ.

Virg. l. 8.
Acacid.

Matt. 19.

Luca 2.

Luca 9.

C A P V T VI.

De modestia, ac humilitatis laude.

Tantum ergo absfuit, ut hunc paupertatis buccinatorè mo- dicorum parentum, aut toleratæ per adolescentiam totam inopie puduerit vel pœnituerit: ut se pauperrimum non semel prædicarit, & paupertatis ac modestiæ amorem omnibus, quam- o maximo posset studio, induxerit: multum in hoc instituto à va- nissimo illorum fastu discrepans, qui parentes & affines tenues agnoscere